

CANCELL.
MARTIS B**
1718.

0081

Xt. 6. 1920.

52

~~25. 8. 2~~

~~XXVIII. 9. a~~

- M

27

J. J. B.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

CONJUGALIS

DEBITI

PRAESTATIONE,

Von Leistung der Ehelichen Pflicht/

PRÆSIDE DÉO TRINUNO,
INDULTU ET AUCTORITATE
Quam
MAGNIFICI

JICTORUM ORDINIS,

IN ALMA NORICORUM UNIVERSITATE

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN UTROQUE JURE

HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

rite & legitime capessendi,

Publico ac solenni Eruditorum Examini subjicet

ad diem xxv. Junii, A.O.R. MDCCVI.

H. L. Q. C.

JOHANNES JODOCUS BECK,

Norimbergensis.

Cattitero MEYERIANO.

DISSERTATIO IN AUGUSTAEIS
ad

CONIUGALIS
DEBETI

PRAESTATIONE
PRÆSIDI DORTMUNDI
INDUSTRIÆ ET MERCATORIATÆ
MAGNETICÆ

LCTORIUM ORDINIS
IN ALMI NORICORVM UNIVERSITATE

PROLICENTIA
EGMONTIA ET BURGUS ET ARBE


HONORE ET MARIETIA DOCTORIALIA

THESSALICÆ ET GYPSÆ

PROLICENTIA ET BURGUS ET ARBE

EGMONTIA ET BURGUS ET ARBE

JOHANNES JODOCUS BECK



I. N. f.

PRÆFATIO.

A Vultu tuo, Domine Jesu, judicium meum
prodeat, & oculi mei videant æquitatem!

Quanquam Conjugium Reipubl. atq;
Ecclesie Seminarium Ezech. XVI. 20. libidi-
nis alexipharmacum, conservande castitatis
atq; pudicitia remedium i. Cor. VII. 2. ab ipso
DEO, Ente purissimo, omnisq; boni fonte, sta-
tim ab initio mundi in Paradiso, cum adhuc in statu innocen-
tiae vivoret homo, sit institutum Gen. I. 27. & II. 18. ac ita or-
dinatum, ut sit inter fideles honorabile, purum, sanctum, ca-
ustum & honestum Ebr. XIII. 1. Thessal. IV. 1. Timoth. II. Tit.
II. post lapsum etiam a Numine benignissimo conservatum &
corroboratum Gen. III. 16. VIII. 17. IX. 1. Psalm. CXXVIII. 3.
tum commendatum & honoratum, Gen. XXIV. 7. 27. Deut.
XXIII. 2. XXIV. 5. Tempore insuper N. T. ipse Christus Filius
DEI unigenitus, ex conjugata natus Luc. I. 27. II. 7. presen-

sia sua primoq; miraculo Nuptias cobonefcarit Joh. II. 2. seqq.
 impurus tamen ille spiritus, matrimonii hostis juratus, Diabolus, jam inde a primis quasi Ecclesia incububilis institutu Conjugalis turbatorem egit, & ita hostiliter instituto isti divino se se opposuit, ut a tactu etiam mulieris abhorri i summam generis humani atq; orbis Christiani perniciem voluerit.
 Diabolicum hocce institutum 1. Tim. IV. 1. 3. multorum Hereticorum opera fuit stabilitum. Saturninus Matrimonium contrabere, & solum procreare, ex Satana esse docebat, Epiphan. hæref. 23. Marcion. cum carnem a malo principio ortam diceret, ejus resurrectionem negabat, & ne per Conjugia propagaretur, mibilebat. Quamobrem conjugatos, ut salutis non capaces, ad Baptismum haud admittebat, ut testis est Tertullian. lib. I. contra Marcion. Euseb. lib. 5. c. 15. Tatianus continentiam predicans, conjugium opus Diaboli esse, nihilq; differre a scortatione, sed unum idemq; esse, asserbat, Epiphan. hæref. 46. unde nec Conjuges in suorum recepit numerum. Ejus Sectatores dicti fuerunt Encratitæ seu Encratistæ, & nō tñs ἐγκρατιας, quia a Conjugio, avino atq; esu carnium abstinebant. Tatiani heresim postea auxit Severus, aquo Sevériani, qui per omnia cum Encratis senserunt, Mulierem opus Satane, & hominis partem dimidiam ab umbilico sursum tendentem, DEI creaturam, inferiorem vero esse Satane signum dixerunt, matrimonium autem contrabentes, opus Satane perficentes, nominarunt, ut narrat Epiphan. hæref. 45. Manichæi Conjugium tanquam Diaboli lege institutum damnabant Theodoret. I. 6. hæretfab. Priscillianistæ consuetudinem Conjugalem non a bono DEO, sed a malignis Angelis institutam esse, asserabant. An vero ex hisce, aut quibus aliis principiis Clericis conjugium interdictum sit, nos hoc in loco, in medio relinquimus, gnari Concil. Elbertin. c. 33. cui placuit
in

¶ 5. ¶

in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis positis in ministeriis, abstinere se a Conjugibus suis, & non generare filios, quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur. Siric. Papa in Epist. ad Himer. Thracon. Episc. c. 7. Plurimos Sacerdotes Christi atque Levitas post longa consecrationis suæ tempora tam de Conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, &, NB, crimen suum hac præscriptione defendere, quia in V. T. Sacerdotibus ac Ministris generandi facultas legitur attributa. Concil. Aurelian. IV. c. 17. ut Sacerdotes sive Diaconi cum Conjugibus suis non habeant commune lectum & cellulam, ne propter suspicionem carnalis confortii Religio maculetus. Quod qui fecerint, juxta priscos canones ab officio regradentur. *Plus quam Diabolica Blasphemia est, quod Franciscus Costerus Sacerdotale Conjugium scortatione deterius censet, quando in Enchirid. c. 17, de celibatu Sacerdot. p. 528. scribere non veretur: Sacerdos si fornicietur, aut domi concubinam soveat, tametsi gravi sacrilegio se se obstringat, gravius tamen peccat, si contrahat matrimonium. Sed impura dox. Detestatione non minus dignum est, consuetudinem conjugalem expellere Spiritum.* S. c. 4 XXXII. qu. 2. Precibus & uspi S. Eucharistia obstare, c. 1. XXXIII. qu. 4. adeo, ut non expedit tendenti ad Regnum cœlorum habere uxorem c. 9. XXXIII. qu. 5. item vivere conjugatos in carne, eos autem, qui in carne vivunt, DEO placere non posse, Rom. VIII. 8. *Hoc ipsum autem negatur vivere conjugatos in carne: In conjugio namque vivere, est vivere in societate ab ipso DEO insiuta ad sobolis procreationem & extinctionem uestionum; in carne autem vivere est carnalibus cupiditatibus & pravis desideriis frena laxare, que DEUS nec insituit, nec approbavit. In Conjugio ergo potest quis vivere*

vivere, ut non indulget pravis desideriis & cupiditatibus.
Notandus est error Hieronymi, non impleo, inquit, Christiani officium, dum impleo officium mariti, item quando sequentem in modum argumentatur:

Bonum est, mulierem non tangere, i. Cor. VII. i.

Malum ergo erit eam tangere.

Nihil enim Bono est contrarium, nisi malum.

Sed notandum, non intelligi hoc in loco Bonum, quatenus opponitur in honesto aut malo, quasi nempe Conjugem habere, & cum ea confuetudinem conjugalem exercere, sit malum aut peccatum, alias DEUS, Conjugii autor, esset peccati autor, absit! quicquid enim DEI ordinat, bonum & laudabile est, Was Er ordnet/ das ist loblich und herrlich. Psalm. CXI. 3. i. Tim. IV. 4. sed intelligitur Bonum utile sive commodum, quemadmodum i. Cor. VII. 35. καλὸν δicitur συμφέρον: τῷτο δὲ τεὸς τῷ οὐρῶν αὐτῶν συμφέρει λέγεται, hoc autem dico vestro commodo. Loquitur itaque Apostolus non simpliciter de Conjugio, sicut ex seqq. constat, ubi incontinentibus Conjugium tanquam scortationis medicinam commendat, & conjugatis certas prescribit regulas, sed de Conjugio pro certo temporis statu considerato, & hoc innuere vult, non utile esse, non commodum, non expedire homini, uxoremducere, id est dicitur εἰναι ἀνάγκην, propter instantem necessitatem i. Cor. VII. 26. propter varias nempe persecutions, exilia, martyria, pericula, que tunc Christianis undiqueque imminabant, queque solutis personis tolerabiliora erant, quam conjugatis. conf. Jerem. XVI. 2. Sed vel a nunc contrahimus, & cum Augustino libr. de fide contra Manich. c. 18. exclamamus: DEUS magne, subveni animis ista turpia credentibus, ista nefanda sectantibus. Quis haec non exhorreat, rogo vos? quis tam cœcus est, ut ista credit, rogo vos? Tu interim L. B. ut conatus nosbris favoris ac benevolentie tua atra adspires, obnixe rogamus.

Da,



Da, DOMINE, Incrementum!

¶. I.

Conjugalis Debiri præstatio, quæ alias dicitur, cohabitatio conjugalis, Amor conjugalis, Benevolentia debita i. Cor. VII. 3. mutua servitus c. 3. XXXII qu. 2 carnale debitum c. 2. ¶ de Conjug. lepros. consuetudo conjugalis l. 32. §. 13. ff. de Donat. inter vir. & uxor. l. 34. pr. ff. ad leg. Jul. de adult. l. 24. ff. de R. N. Petri Greg. in Syntagm. Jur. univ. L. 1. c. 2. n. 15. nobis hoc loco nihil aliud est, quam obligatio, vi cuius Coniux Coniugj ex mutuo in unam carnem consensu adstringitur, ut sibi invicem corporis communionem præsent, non solum ad procreationem liberorum, sed & extinctionem libidinum. Sive: Est obligatio Coniuges adstringens ad facienda ea, que prudentia dictitat, ad propagationem sibi, & post hanc ad libidinis expletione esse apta. Vel: Conjugalis Debiti præstatio est, qua maritus obligatur, ut quantum ad conceptionem opus est, cum uxore concubat, neq; conceptionem per nefarios amplexus impediatur, tum ut libidinem uxor pro viribus resinguat, sic tamen, ut caveat, ne proli conceptioe per istud opus damnum inferatur aliquod, uxor autem similiiter officium suum faciat, corporis communionem marito præstando, ad procreationem liberorum, & extinctionem libidinum. Causæ autem ac Mōrīa præstationis Debiti Conjugalis sunt I. **Mandatum DEI.** Cum enim DEUS Coniugii Autor, Adamum, quem de terra pulvere finxerat, & in nares ipsius vitæ halitum sufflaverat Gen. II. 7. ad imaginem secundum similitudinem suam creasset Gen. I. 26. 27. videntis non esse bonum, esse hominem solum, Gen. II. 18. extulit Ewam, injecto sopore alto in Adamum, quo obdormivit, ex costa illa, quam sumferat de eo, eamque adducens ad Adamum Gen. II. 21. 22. benedixit eis dicens:

dicens: *Fœnificate & augescite & implete terram Gen. I. 28.* quæ
verba sane non nudam facultatem hominibus tribuunt, sed
haud dubie obligationem simul adjunctam habent: cum secun-
dum Theologos, *omnis divina institutio simul divina lex sit.* Tho-
mal. in *Jurisprud. div. l. 3. c. 3. §. 6. 8.* Relicturus est vir patrem su-
um & matrem suam, & adhærebit uxori sua, eruntque duo in carnem u-
nam Gen. II. 24. id quod repetit Christus in *Novo Testamento,*
& confirmat, diccns Pharisæis, quæstionem ipsi de diuortio
proponentibus: *nonne legistis, opificem ab initio fecisse masculum*
& feminam? & dixisse: propterea derelinquet homo patrem & ma-
trim, & agglutinabitur uxori sua, & qui duo fuerant, erunt una caro?
propter corporum nempe conjunctionem & unionem. *Matt. XIX. 4. 5.* Intelligi enim per esse in unam carnem, congressum, ex illo
Apostoli, locum cit. *Genes.* allegantis patet: *an ignoratis corpora ve-*
stra esse membra Christi? num igitur sublata membra Christi faciam
scorti membra? absit, an ignoratis, eum qui agglutinatur scorto unum
esse corpus cum scorto? erunt enim, inquit, (Deus Genes. II.) qui duo e-
rant una caro. *Cor. VI. 15. 16.* Idein dicit Apostolus *Eph. V. 31.*

II.

Haud inconcinne hoc referri quoque possunt verba *Ge-*
nes. II. 18. Faciamus ei adjutorium sive auxilium commodum & simile
sibi. Principaliter enim hac voce *adjutorium Generationis* in-
telligitur: eam enim ob causam Deus condidit Eram, qvoniam
ex bestiis nulla Adamo adjutorium præstare poterat. h. e. non
sufficiebant bestiæ ad sui simile procreandum, etiamsi suffici-
ant exdem ad extinctionem libidinis Thomal. *Jurisprud. div.*
L. 3. c. 3. §. 20. & §. 30. Gerhard. de *Conjug.* §. 42. Spectat huc
etiam *Præceptum VI. Non machaberis:* in quo DEus omnem
interiorum animi effectum inordinatum, concupiscentiam cor-
dis pravam, cogitationem mentis impuram, omnes gestus
& sermones lascivos, adeoque opus externum quodvis illicitum pro-

prohibet, contra vero præcipit, ut castæ & pudice vivamus
in verbis & operibus, & unusquisque conjugem suam honoret
& amet. Dieteric. in Inst. Cateches. p. 153. hoc est, quod Apostolus
Paulus ait i. Cor. VII. 3. uxori vir debitam Benevolentiam reddito,
hoc est, debitum illud Conjugale, quo conjuges Parentes fiunt.
similiter *& uxor viro.*

III.

Reddit autem gravissimam rationem, quare Conjuges hoc
Debitum sibi invicem denegare haud debeat: quia neuter
Conjugum Jus habet in corpus suum, sed alter in alterius.
Uxor, inquit, *proprium corpus non habet in potestate, sed vir, similiter autem & vir proprium corpus in potestate non habet, sed uxor.* i.
Cor. VII. 4. Cum itaque Conjuges matrimonialem Contractum:
Do tibi corpus meum, ut & es mibi tuum corpus, ineunt, conjugalique
copulatione *una caro efficiuntur* Gen. II. 24. neuter eorum sui cor-
poris potestatem amplius habet, ut ejus usum conjugalem
ordinarium temere subtrahere possit, sed alter alteri *vi obligatio-*
nis, ex mutuo in unam carnem consensu nata, ad promissionem fidei
incorrupte servandam adstringitur. Et nihil refert, quocun-
que modo voluntas exprimatur, utrum hoc debitum petature ex-
presso sive tacite sive interpretative, ut cum uxor præ reveren-
tia verbis expressis id petere non audet. De signis & conjectu-
ris tacite uxor's exactio[n]is, vid. Zucch. in quæst. Medic. Legal. lib.
7. tit. 2. q[uo]d. 1. n. 12.

IV.

Secunda causa impulsiva est ipsius Conjugii relatio ad finem
suum, qui est duplex: *Primarius & secundarius.* *Finis Conjugii*
primarius est, Procreatio Sobolis l. 220. ff. de. V. S. Statu namque
conjugali inter homines a DEO instituto, certisque LL. de-
terminato, statim quoque mirabile mutui sexus desiderium
utriusque sexui inficit, ut in amplexus mutuos ruant, invi-
cemque

B

cemque coēant Schilt. manud. Philos. Moral. ad Jurisprud. c. 10. §. 5. & quidem ut conserventur ac propagentur familiæ, Republicæ & Ecclesiæ. Hinc non immerito Conjugium Republicæ Seminarium & fundamentum appellatur Cic. lib. 1. Offic. dum per istud non solum Ecclesia Christi hisce in terris colligetur ac propagatur Ezech. XVI. 20. & XXIII. 37. sed & Respubl. augetur, amplificatur, servatur. l. 1. ff. solut. matrim. Alias enim populi & urbes non diu manebunt, nec erunt, qui pacis tempore terram colant, exerceant navigationes, artes & opera tractent, belli tempore Rempubl. tueantur & defendant Dio l. 56. Quo & respexit Imperator Justin. dicens: *Nihil in rebus mortaliis perinde venerandum est arg. matrimonium quippe quo liberi omnisq; deinceps sibolis series existat, quod Regiones arg. Civitates frequentes reddat, unde deniq; optima Reipubl. coagmentatio fiat.* Nov. 140. pr.

V.

Finis secundarius Conjugii plerorumque post lapsum, est vitatio scortationis & vagarum libidinum. Thomas. Jurisprud. Div. L. 3. c. 2. §. 23. 24. seqq. Hinc Plutarchus monet: *dandam esse operam, ut, qui voluptatibus nimis sunt dediri, & reprehensionibus minus obtemperant, matrimonio devinciantur, quod tutissimum Juventutis sit vinculum, de educ. liber.* Hunc quoque finem tangit Apostol. Paulus 1. Cor. VII. 2. propter scortationes evitandas suam quisq; cujuscunque sit ordinis aut dignitatis, sive sit Clericus sive Laicus 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. 1. Cor. IX. 5. VII. 27. Ebr. III. 4. vid. lat. August. Confess. art. 2. 3. ibid. comment. Myl. Graver. Calixtus de Conjug. Cleric. Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 29. lib. 30. ibique Petr. Müller. in not. lit. a. Carpz. Jurisprud. Confess. L. 2. def. 45. uxorem habeto, & proprium queq; virum habeto. Ubi notandum, 1. quod vocabulum ἔχετω non suadentis & permittentis, sed imperantis sit Dieteric. in Institut. Catech. p. 162. 2.) quod hic ponatur numerus pluralis τας πογνειας, ad varias

❧ (II.) ❧

varias fornicandi notandas species, quibus castitas & continencia violatur; nam sive immodicas libidinis flamas patiatur quispiam, sive sermone, oculis, gestu atque tactu ea tractet, quæ a castitate aliena sunt, hæc omnia fornicationum nomine Apostolus insignit, neque jam commissas, sed inevitabili periculo committendas intelligit. Stryk. tr. de Diff. sponsi. Sect. 5. §. 3. Huc pertinent etiam pollutiones corporis involuntarie, quales interdum in somnis accidunt, vid. Excellent. DN. D. Bruno in dogmat. Med. gener. P. 5. de diætæ. c. 6. a. i. §. que quot. p. 640. ubi dicit: Subscribimus ergo merito D. Linden. demonstranti & afferenti e Sacris, non sine peccato se quemquam posse polluere, etiam invitum vel inscium, non obstante, quod castis aut piis hoc quoque accidere possit; manifeste enim indicat τὴν σάρκα καθολικαῖν τραχεῖαν luxuriari carnem conf., omnino Linden. Exod. XV. §. 35. seqq. fere per tot.

VI.

Fallunt itaque & falluntur, qui continentiam & castitatem per solam carnalis commixtionis & conjugalis usus abstinentiam definijunt, quid enim, queso, prodest *integra caro, mente interim corrupta*, ceu loquitur Augustin. Ipla denique hominis creatio & forma corporis demonstrat, hominem a DEO efficiendæ sobolis ergo factum & destinatum esse. Hinc recte Lantantius lib. 6. c. 23. cum excogitasset DEVVS duorum sexuum rationem, attribuit ipsi, ut se invicem appeterent, & conjunctione gauderent. Itaq; ardenter cupiditatem cunctorum animantium admirans corporibus, ut in his affectus avidissime ruerent, eas ratione propagari & multiplicari genera possent. Et paulo post: *Sicut autem dedit nobis oculus Deus, non ut spectemus, voluptatemq; capiamus, sed ut videamus, propter eos actus, qui spectam ad vitæ necessitatem: ita genitalem corporis partem, quod nomen ipsum docet, nulla alia de causa nisi efficiente sobolis ergo accepimus.* Eodem spectant verba elegan-

B 2

tissima

tissima veteris Philosophi apud Stobæum: *Sunt Nuptiae maxime secundum naturam, si quicquam aliud: quam enim aliam ob causam opifex hominis primum quidem bipartito divisit genus humanum, deinde genitalia ei bina adjunxit, aliud viri, aliud feminæ, postremo cupiditatem vehementem uirgines injecte conservationis & conjunctionis cum altero, & ingens desiderium murum alterius utriusque concitatavit, ut masculinam appeteret, feminam marem.* Nonne igitur sit evidens, quod uirum sexum conservari jungit, voluerit, & communi opera vitam instituere, scilicet mutuo juvare etiam gignere, simul ac educare liberos, ut genus nostrum perpetuo effeat?

VII.

Tertia causa impulsiva sunt premia arg. honores. Jure di- vino concedebatur novello marito immunitas & vocatio a militia per annum integrum, quo latetur cum uxore sua Deuter. XXIV. 5. & XX. 7. Jure Romano illi, qui uxorem quique habebant liberos, aliis neque uxorem, neque liberos habentibus, in dignitatibus & honorum ordine praeferebantur l. 6. §. 5. ff. de Decur. l. 9. C. eod. quoniam magis de Republ. solliciti esse praesumuntur, quam ii, qui liberos non habebant Gothofr. in not. ad l. 9. C. de Decur. lit. c. Cypræus de Jur. Connub. c. 12. de Spons. §. 74. versi. Sed quia de præmiis. Sic cap. 7. Legis Jul. priori ex Consulibus fasces sumendi potestas fiebat, non qui plures annos natus est, sed qui plures liberos quam collega aut in sua habebat potestate, aut bello amisit: & hi enim, qui pro Republ. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere praesumuntur pr. Inst. de Excus. iur. vid. l. 18. ff. de Excusar. Aul. Gell. lib. 2. Nott. Attic. c. 15. Ad honores quoque citius promoveri poterant, atque anni remittebantur pro numero liberorum. Sic uti enim Minores XXV. annis honores capessere nequibant, ita liberi veniam ætatis merebantur. Hinc Ulpian. l. 2. ff. de min. nec per liberos suos rem suam maleficius & curatore recipiebat, quod

quod enim legibus cavitur, ut singuli anni remittantur per singulos liberos, ad honores pertinere D. Severus ait, non ad rem suam recipiendam. Ita qui 5. liberos habebat anno XX. qui tres XXII. atque sic deinceps proratione liberorum adspicere poterat ad honores. Is qui tres liberos superstites Romæ habebat, vel in Italia IV. vel in Provinciis V. a tutela & curatela liberabatur pr. Inst. de Excusar. iur. Et l. 1. C. qui num. lib. se excus. A munieribus patrimonialibus seu realibus, id est, iis quæ rei inherent & ex patrimonio vel bonis praestantur ab illarum possessoribus l. 1. §. 3. & l. 18. §. 1. ff. de mun. & honor. immunitatem praestabant liberi XII. l. 24. C. de Decur. XVI. l. 5. §. 2. ff. de jur. immun. conf. Ludwell. ad pr. Inst. de Excus. iur. Hahn. in Observat. Theoret. Pract. ad W. etemb. sit. de Vacat. & excusar.

VIII.

Contra vero illi, qui ad Conjugium contrahendum apti quidem, in coelibatu tamen permanerunt, aut nullos liberos genuerunt, contemni & despiciuti habebantur tam *Jure Divino* Gen. XXIX. 3. & XXX. 1. 2. quam etiam *Jure Gentium*. Coelibes apud Athenienses festo quodam die a mulieribus circa aram tracti, flagris cædebantur, quo ex ignominia illata ad dandam liberis operam excitarentur. Natu minores ipsi non assurgebant, neque cedebant loco, quod tamen apud Romanos nefas existimabatur, & morte piandum, si Juvenis vultu non assurrexerat. Actiones quoque seu judicia publica instituta erant, apud Athenienses ἀγαυων sive ἀγαυης δονη, crimine sive αἰσθεταρum nuptiarum, adversus eos, qui uxores non duxissent; apud Lacedamonios οἴφυαις καὶ κανογαις δονη, adversus eos, qui sero, vel qui non bene duxissent uxores. Cyprus de Jur. connub. c. 13. de sponsal. §. 73. n. 2. vid. Kizel. in Synops. matrim. c. 9. theorem. 7. lit. b. & i. Imo pudor est foeminis Nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola cauila est inuenienda.

bendi c. i. **XXXII.** qu. 2 maximumque ac præcipuum munus accipere & tueri conceptum l. 62, ff. de *Ratiū. Edit.*

IX.

Graviter autem peccant Conjuges, qui Conjugale Debitem absque legitima causa morole denegando, se invicem in flamas libidinum conjiciunt, contra expressam Pauli constitutionem i. *Cor. VII.* Sane ejusmodi *morosa denegatio quoad rem nihil aliud est, quam malitiosa desertio, qua Coniux Conjugem deserit:* cum enim forma Conjugii in consensu perpetuae cohabitationis consistat, desertor malitiosus, & qui conjugale debitum pertinaciter negat, magis contra formam Conjugii peccare dici potest, quam qui adulterium committit, & ita jure meritoque malitiosi Desertoris titulum sibi acquirit denegans, *licet enim corpore non discedat, animo tamen discedat, animumque deferendi eo ipso detegit.* Bruckner. in *decis. matrim.* c. 18, §. 18. ibique alleg. Dn Stryck. in *Dissert. de malit. desert. Conjug. assert.* 21. Hülsem. in *Breviar.* c. 21. tb. 16. Scherzer. in *System. Theol. loc.* 27. de *Conjug.* §. 18. sub *adult. lit.* §. B. Luther. tom. *Genes.* Germ. libr. *Vom Ehel. Leben,* anno 22. edit. fol. 156. ubi pertinacem ac morosam debiti conjugalis denegationem refert inter legitimas matrimonium dissolvendi causas; non autem hoc sibi vult, quasi *uxore debitum conjugale quovis modo denegante, maritus cum Ancilla citra adulterii crimen posse concubere,* prouti Adversarii nostri, sic dicti JESUITÆ criminantur, sed quod maritus post reiteratas, sed frustra tentac̄as, tam privatas quam publicas admonitiones publica Magistratus autoritate desertricem illam repudiare, & aliam sibi Estheram fastuosa illius Vasthi loco legitimo possit copulare matrimonio. Selnecker. in *prefat. colloqu. mens. Lutheri a iiiij.* Der abtrünnige Staphylus, und bishweiln auch andre getreue Brüderchen haben aus D. Luthers Büchern erwischt und hergenommen die Wort vom Ehel. Leben und dadurch hohe Personen und andere auch fromme einfältige Leuthe berezen

den

den wollen/ sie sollten in D. Luthers Büchern nicht lesen. Es redet D. Luther an selbigem Orth/ den sie so unverschämmt anziehen/ von der Ehescheidung/ und seget z. Ursachen/ darum man die Ehescheidung hat zugelassen/ als natürliche Unfruchtigkeit/ Ehebruch/ und so eins das andere selbst verläßt/ beraubt/ und sich ihm mutwillig und halsstarrig entzeucht/ da spricht er nun unter andern: Wilst du nicht/ so will eine andere/ nemlich nicht zum Ehebruch und Hurenen/ sondern zum Chel. Weib/ warn die Ehescheidung ordentlicher Weiß geschehen. Will die Frau nicht Frau seyn/ sondern sich halsstarrig ihrem Mann entziehen und ihn verlassen/ so komme die Magd/ in Chestand/ nicht zum Ehebruch/ oder zur Chelosen Beywohnung/ sondern wann die halsstarrige Frau sich nicht will warnen lassen/ als dann/ wann sie ja in ihrer feindseligen Halsstarrigkeit beruhet/ so laß sie/ spricht D. Luther/ nach vorhergehender Efkäntrüß von dir/ und laß dir eine Esther geben/ und die Basshi fahren/ wie König Ahasverus thät. Solches redet D. Luther aus freuen guten Geist/ wie die Ordnung der Rede mit sich bringet/ aber da kommen die Naswiesen Säue/ und mit ihren Rüsseln wühlen sie in den Worten/ will Frau nicht/ so komme die Magd/ und sehen nicht/ oder wollen nicht sehen/ daß D. Luther nicht von Ehebruch/ sondern von Ehescheiden/ und dann von einem recht Christil. Chestand rede.

X.

Quod si itaque Conjuges hoc pacto Praecepto divino se subtrahant, & debiti conjugalis denegationem praefraete & contumaciter denegent, tunc a Magistratu sunt adigendi non modo persuasionibus, & admonitionibus amicabilibus, sed etiam minis & severis adhortationibus c. 6. §. de adulst. & slupr. c. 13. §. de resist. spol. adeo, ut si in contumacia perseverent, mulieris, carcere, operis publicis aliquique poenis arbitrariis ad id implendum sunt compellendi Stryck. de Jur. domesti. cap. 2. §. 2. non enim privatorum arbitrio concedendum, quod Jure pari-

pariter divino ac humano præceptum est, alioquin contumacia
 & inobedientia fenestra aperiretur latissima, criminisque per-
 missio nova crearet litigia, & publica turbaretur lœtitia. 3. C.
de Episc. audient.

XI.

Si vero nihilominus Conjuges hac in contumacia persi-
 stant, nullisque ad Debiti conjugalis præstationem gradibus
 possint adigi, tunc competit *Processus Desertorius* inter Conju-
 ges etiam utrinque præsentes Hunn. *in comment. in cap. XIX.*
*Mattib. Schilter. Exerc. ad ff. 36. §. 13. Stryk. in annot. ad Lau-
 zerb. Comp. Jur. tit. de R. N. n. 682 item intr. de diff. spons. sect. 6.
 §. 21. dum nempe pars innocens, oblato libello, & præmissa
 in eo congrua ac brevi facti narratione, directo sive per obli-
 quum quæritur, se dono continentia non esse preditam, nec
 sine peccato in vita solitaria diutius posse perseverare, se itaque
 Judex Reum, si præsens, per nuncium ordinarium, durch den
 Gerichts-Bothen/vel viva voce, vel interveniente scriptura, ci-
 tari facit, si absens, in cuius tamen territorio citandus existat,
 constet, Judex citationes subsidiales decernit ad Judicem loci,
 ubi degit, id quod fieri assolet per literas requisitoriales, sive
 muri compallis, subiecta clausula: *Se in re pari paria facturum*
l. 1. §. 2. de requ. vel absent. l. 7 ff. de custod. & exhib. reor. arg. l. fin. ff.
de interd. Gail. in obs. Præst. lib. 1. obf. 56. Martini in Proc. Saxon. t. 4.
*in rubr. n. 54. seqq. vel si ignoretur, citationes Edictales dece-
 rruntur, que plerumq; in trium dominorum diversorum ter-
 ritorii, ubi clam latitare præsumitur Gail. t. O. 57. n. 10. Stryk.*
*in introd. ad Prax. c. 4. §. 3. in fin. ex suggestibus sacris von öffentli-
 cher Cankel præleguntur, ac in locis publicis affiguntur. His
 itaque tenor actionis & petitionis inseritur, cum constitutio-
 ne termini Legalis ad respondendum, & comminatione: *Judi-
 cemi ad Rei sive comparitionem sive emansionem nihilominus
 cogni-***

cognitum & pronuntiatum, quod Ius & Justitia postulat. The erscheinet oder erscheinet nicht, soll dennoch auf euer Außenseitzen, oder auf die angebrachte Klag nichts desto minder ergehen, was recht ist.

XII.

Termino in citationibus non nimis angusto præfixo, ac isto denique elatio, si Reus non comparuerit, & a Parte astrictice contumacia ejus accusata, simulque repetitio petitionis in libello contentæ, facta fuerit, aut, licet comparuerit, absque tamen justis ac legitimis causis alteram Partem, astrictem nempe recipere, eique reconciliari detrectet, tunc Judex absentem vel præsentem pro confessu & convicto, & malitioso desertore aut desertrice declarat, & innocentia parti, si continere non valeat, permittit, ut ad aliud Matrimonium lícite transire possit, hinc formula Consistoriorum: So wird er auch als ein muthwilliger Desertor und Verlässer seines Weibes billich erkannt/ und erklärt/ inmassen mir ihn dafür erkennen und erklären. Besold. vol. 3. Conf. 27. n. 27. Richter. vol. 2. p. 1. conf. 26. De Processu desertionis & quibus cautionibus ille sit tractandus, pluribus videot potest Nicolai de Divore. P. 1. c. 3. n. 7. -- 35. & P. 2. c. 2. n. 7.

XIII.

Pro corroboranda & stabilientia nostra liceat sic argumentari: Si malitiosa desertio solvit vinculum matrimoniale, ita ut pari deserto licitum sit cum alia persona matrimonium contrahere, sequitur etiam, quod perrinax & incorrigibilis Debiti denegario vinculum matrimoniale solvat. Est enim morosa conjugalis debiti denegatio nihil aliud quoad rem, quam malitiosa desertio, prouti *supra* §. IX. ostendimus. Sed verum est prius i. Cor. VII. 15. E. & posterius. Secundum argumentum defini potest ex v. 2. d. cap. VII. propter scortationes suam quisq; uxorem habeto, & proprium quaq; virum habeto. Itaque si maritus ac uxore per pertinacem debiti conjugalis denegationem deseritur, tunc eo loco habendus, quasi non habeat uxorem; quia itaque hoc periculo fornicationis est obnoxius, id-

C

circum-

circo facultas ipsi competit, si continere non possit, aliam duce-
re uxorem ad evitandam scortationem. Uno verbo: *Quic-
quid impedit fidem conjugalem ipsam, usumq[ue] thori immediate ledit,
illud solvit vineulum matrimoniale, atq[ue] parti innocentis fores secundi
matrimonii ipso jure operit.* Persinax & incorrigibilis. Debiti denegatio
ipsam fidem conjugalem immediate ledit & usum thori. E. Hoc
überius patet ex *Sententia Informationis Scabinatus Jenens.* Mens.
May. 1689. quam exhibet Dn. Bruckner, in *Decis. Matrim.* ad cap.
19. n. 18. & 24. part. 2. pag. 90.

P. P. Postquam nobis relationem una cum Schedis
adjunctis misistis, & super quæstione informationem Juris
petiistis, justum pronunciamus: Uxor vestra, quæ propter
mentis alienationem aliquot annos Caveæ trabicæ, Block-
hauss/ inclusa & in ea custodita fuit, jam ad sanam mentem
rediit, vos quoque ad eam rediistis & eam in omnibus tan-
quam Conjugem vestram tractastis, contra ipsa vobis Debi-
tum conjugale præstare, hucusque renuit. Quamvis igit-
tur videri possit, siquidem contumaciam ejus, quæ ab incli-
natione magna ad Melancholiā ortum habere videtur,
paulatim cessaturam esse præsumi possit; quia tamen ipsa
statim initio Conjugii Vos extraordinarie aversata est, nec
tractu temporis mutatio secuta est, sed potius aversio ista
animum ejus ita occupavit, ut licet quoad reliqua ad men-
tem saniorem redierit, odium tamen erga Vos conceptum
apud eam adhuc perseveret, nec ad cohabitationem conju-
galem adigi ullo modo possit, quæ pertinax denegatio de-
biti, malicioæ desertioni æquiparatur.

Vid. Sanchez, lib. 9. de matrim. disp. 2. Selden, lib. 3.

uxor. Ebr. c. 6. seqq.
Talis enim debiti conjugialis denegatio, quæ nec Ministero-
rum Ecclesiæ admonitionibus, nec Magistratus adhorta-
tione

tione emendari potest, omnino efficit, ut matrimonium, quod ad procreationem sobolis institutum est, subsistere non possit.

arg. i. Cor. VII. Lutb. tom. 3. Ienerf. German. in abhor-
tatione ad ineundum conjugium fol. 99. § 138. Ger-
hard. de Conjug. §. 630. & Bidenbach. de causis ma-
trim. c. 7. qm. 4.

Præcipue, cum vos vegetæ æfatis sitis, & tanto tempore pa-
tientiam magnam absque ulla emendationis spe habueritis,
hinc rebus sic stantibus divorcium & permissionem aliorum
votorum apud Magistratum territorialem querere jure pot-
estis. In fidem sigillo nostre obsignatum.

Honesto Viro Wolfgango G.
in Gossel, Amico nostro.



Constituti Decanus, Senior
& reliqui Doctores Scabina-
tus Jenensis.

Mens. Maii 1689.

XIV.

Is etiam, qui voluntaria vel potionē vel ex lectione efficit,
quo minus coire, & uxori suæ debitum conjugale præstare pos-
sit, non tantum publicam apud Magistratum poenam incurrit,
sed etiam habetur pro malitioso desertore, sanaque pars libera
pronunciatur. c. aliquando c. XXXII. qu. 2. vid. c. 1. XXXIII. qu.
§. Gerhard. de Conjug. §. 686. Linck. ad Decretal. tit. de frigid. &
malefic. §. 5.

XV.

Videamus nunc etiam eatus, quibus quis a Conjugalis De-
biti præstatione excusat, & i.) quidem, si certum infestationis
immineat periculum, puta si conjux leprosus, aut mōrbo Gal-
lico

lico] aliove ejusdem generis morbo contagioso laborebat, alter vero sanus; ne ejusmodi contagium latius serpat, tandemque civitatem inficiat, cuius exempla recenset D. König *in Caso cons. ad tab. Oecon. Sect. 3. cas. 2.* hoc enim casu sana pars est liberanda ab obligatione praestandi debiti, cum nullus se obliget matrimonii officio, nisi salva individui incolumitate: durum namque est, ut conjux sanus contagioso conjugalem amplexum reddere teneatur, nec licet malum facere, ut inde eveniant bona, neque etiam Deus est tentandus *can. Si nulla caus. XXIII. qu. 7.* Dannhauer. *in Theol. cons. P. 2. Sect. 2. Dial. 3. art. 5. qu. 39.* Brunnem. *ad leg. 6. ff. de Divort. & repud. n. 8.* Deus ipse in lege per Moysen lata ab hortum consuetudine, qui tali morbo erant infecti abstinere jussit. *Levit. XIII. 4. 14. 46.* Et licet lex haec fuerit ceremonialis, & populum tantum Judaeum obligaret, habet tamen aliquid Morale, nempe proximo imo toti Reipubl. damnum non esse inferendum quod fieret, si conjux sanus leproso conjugale debitum praestare teneretur. Imprudenter itaque & absurde *Alexander III. se gessit decidendo c. 2. §. de Conjug. lepros. quia si virum sive uxorum lepros. fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali Praecepta Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui praeceptio nulla hoc in casu exceptio invenitur.* Quasi vero Apostoli praeceptum ad quemlibet casum etiam extra sanitatis statum extendere licet, contra regulas sanæ legum interpretationis in l. 17. 18. 19. 25. 29. 30. *de Legib.* Sic quoque maritus sanus uxorii furiosæ, menstrua patienti, imo peste laboranti debitum conjugale, si ipsa hoc petat, reddere tenebitur? vid. *Nov. Leon. 112. circa fin.* Quid vero si maritus ob horrorem morbi mulieris abominabilis, ne quidem ad debitum reddendum habilis sit, aut se disponere possit, an tunc quoque Apostolus impossibilia ipsi injungit? Bruckner. *in decis. matrim. c. 23. n. 46.* Communiter tamen Dd. hoc capitulum intelligendum esse volunt, eo de casu, ubi lepra non est contagiosa, ingensque parti

parti sanæ infestationis periculum non imminet Sanchez. de Matrim. L. 9. disp. 24. n. 14. seqq. Sannig. ad Decretal. tit. de Conjug. lepros. Toletan. Infr. Sacerd. lib. 7. c. 24. n. 3. Bonaccin. de matrim. qu. 4. n. 8. part. 1. Barbos. in collect. Dd. in lib. 4. Decretal. tit. 8. c. 2. n. 2. Linck. ad Decretal. tit. de Conjug. lepros. §. 2.

XVI.

II.) Cum uxore menstrua paciente, quod est excernendum sive excrementum sanguinis naturale in sexu feminino etate adulta, ne plurimum per statim mensis lunaris sive quatuor septimanarum intervallo repetens, Excellent. DN. D. BRUNO in Lexic. Med. voce Menstruum, sub poena capitali non esse coendum, docet Levit. XVIII. 19. ad mulierem in separationi immunditici sua ne accedito v. 29. quisquis fecerit aliquam ex abominationibus istis, utiq; rescidetur anima, que illud fecerint, e medio populi sui &c. XX. 18. qui cubuerit cum muliere lan- guente fluxu, & retegens nudatatem ejus, profluvium ejus nudaverie ipsaq; retexerit profluvium sanguinis sui, excluduntur ambo e medio populi sui. Sane certum hoc est, ipsaque veritas comprobat, ejusmodi liberos plerumque deformes & monstrosos & impuritatum plenos, non diu vivere, quin imo non raro scabiei aut lepræ esse obnoxios Cardian. in lib. Hippocr. de Alim. lect. 24. text. 26. in fin. neque soli proli timendum ex'coitu tempore menstrui celebrato, sed & ipsis coëntibus, disponit enim eorum corpora ad eum morbum Zacch. in quæst. med. leg. lib. 7. tit. 2. qu. 3. Sunt nonnulli Canonistæ, in ea opinione, ejusmodi mulierem, tempore fluxus menstrui carnaliter a marito cognosci desiderantem, committere peccatum mortale. D. Thoma Navarra in Man. e. 16. n. 32. Scot. in 4. sent. dist. 32. Sanchez de matrim. l. 9. disp. 21. n. 4. Idem dicendum venit circa Puerperium Zacch. quæst. med. legal. lib. 7. tit. 2. qu. 3.

XVII.

Debitum hoc III.) licite denegatur Conjug: adultero, arg.
cap. sua fraternitas, 7. & cap. intellectimus. 6. & de adulst. & supr.
C 3 vid.

vid. omnino cap. significasti. 4. &c. de divorc. ibi: Quod si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisso, ad eam recipienda prefatus Vir cogi non debet, nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisso, alias enim paria delicta iuxta compensatione colluntur per cap. 7. & 6. &c. de atule. & l. 13. §. 5. ff. ad leg. Jul. de Adult. Queritur num Conjur, cui ab altero Conju-
ge conjugale debitum fuit denegatum, adulterio postea se
commaculans, ordinaria adulterii poena possit affici? Resp.
quod non, per c. 1. &c. 27. qu. 2. ibi: At si tu abstines sine uxoris
voluntate, exibuis ei fornicandi licentiam. & peccatum illius tue
impunitus abstinentia. Abstinentia itaque conjugis, caula
est adulterii; in delictis autem causa quævis a dolo & poena or-
dinaria Reum excusat per l. 4. l. 12. §. 2. ff. de lib. caus. Accedit,
quod iste, qui occasionem caulae seu damni dat, ipsum dedisse
videatur damnum l. 30. §. 3. ff. ad leg. aquil. Et sic pronuncia-
runt Scabini Lipsienses, ad consultationem Georgii Wolfgangi
Goldackers Aens. April. 1591. Da C. K. wie recht/darthur möchte
te daß ihm seinem Fürwenden nach sein Weib darzu Ursach gege-
ben/ und ihn offtmals etlich Wochen verlassen/ und wann sie wieder zu Hause kommen/ seiner keine Gnade haben/ noch seinen Wil-
len thun wollen/ so möchte er mit der ordentlichen Straffe des Ehe-
bruchs verschont/ und mit Stampenschlägen und ewigen Landes-
Verweisung in Straff genommen werden. V. R. W. IV.)
Si morose & continue petatur, & debitum redditurus grave salutis
corporalis periculum timeat. Nimia enim Venus quadra-
ges plus exhaustit spiritus, viresque dissipat, roburque corporis
dissolvit, quam sanguinis detractio, cum secund. Aristot. cen-
tum guttæ sanguinis vix aquent unam guttam feminis, cere-
brum etiam, non minus, quo humidius, eo facilius patitur, ut &
membra cerebro vicina per Veneris excessum leduntur. Mich.
Scot. de Secret. Nat. c. 1. ut adeo verum perquam sit illud Clau-
diani:

Luxuriens præducet malum, que dedita semper

corpo

*corporis arbitriis, habet et caligine sensum,
membrag, Circeis effeminat acinus herbis,
blanda quidem vultu, sed qua non terror ulla.*

Referri huc meretur inscriptio sepulcralis virginis cuiusdam A. theniensis, quæ prima nocte Nuptiarum propter nimium & immoderatum Veneris usum in ipso actu extincta est.

F. J. DICAT

CINERES ET ORSA LAODICEÆ
PHILOCAPTÆ HIC SITA SVNT
PERPETVÆ MEMORIÆ FACTI,
ET INFAMIE CAVSA:

QVÆ INSATIABILI VENERE EXHAUSTA,
SVBTER VIVO VIRO MORTVA EST,
VIX ANN. XXII. MENS. VIII. D. IV.
INFELICISSIMI PARENTES TACTIO NOMINE
EXTRA SORTEM AD RVDERA POSVERE.

O VORAGINEM EXVRIENTEM!

Omnibus itaque in Rebus modus est pulcherrima Virtus.

XVIII.

Sunt etiam nonnulli, qui asserunt, *maritos cum gravidis suis uxoribus ante depositum partum non amplius consuecere debere.* Sic enim scribit Hieron. Lib. 1. contra Jovinian. *In aliena uxore omnis amor turpis est. in suu nimius.* Sapiens Vir judicio amare debet conjugem, non effectu. Rege impetus voluptatis, nec præcepta feraris in costum. Nihil est fædius, quam uxorem amare, quasi adulteram. Certe, quæ dicunt se causa Reipubl. Et generis humani uxoribus jungi filiosq; procreare, imitentur saltem pecudes. Et postquam veneer uxoris intineuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos c. 5. XXXII. qu. 4. Orig. Hom. 5. super Genes. XIX. Sunt quadam, quæ sicut animalia absq; ulla discretione indefinenter libidini servit, quas ego nec muruis pecoribus comparaverim: pecora ensu cum conceperint

-010 BOV HYD CLOP JACKU MISTOU 5770

BOV

perint, ultra non indulgent maribus copiam sui c. 15. XXXII. qu. 7.
 Apud *Essenos*, certa inter *Judeos* Secta, nemo cum uxore prægnante concumbebat, teste *Joseph. Lib. 2. Bell. Iudaic. c. 7.* quo ipso ostendebant, se Nuptias non voluptatis sed liberorum causa inivisse. Et si animi nostri sensa prodere licitum sit, consultus esse ducimus, si quis ab ejusmodi concubitu abstineret, ejusmodi enim res haud caret periculo, teste experientia, sæpe enim *abortus* ex ejusmodi concubitu oritur, aut *Epicyema* sive *superfariatio seu superimprægnatio*, aut interdum etiam *Mola* ein *Gewächs* oder *Mon-Kalb*. *Excellemis. Dn. D. BRUNO in Lexic. Medic. voc. Epicyema.* vid. *Sanchez l. 9. de matrim. Disp. 22. n. 1. Toretan. lib. 7. Instruct. Sacerd. 24. n. 2.*

XIX.

Tempore publicarum & solemnium precum ac Jejuniorum ^a
Debito *Evnœce* *abstinendum* *satiis* *esse* *putamus:* *est enim tempus*
amplexandi, est tempus abstinendi ab amplexibus, inquit Ecclesiast. III. 5. *Judei a Conjugibus abstinebant tempore luctus,*
ut docet Parapbraſt. Chald. & statis quoque temporibus, ut
ad sacram sollemnem se prepararent. *Sam. XXI. 4.* *Sic Deus*
in promulgatione legis Israelitas triduum a Conjugibus ab-
stinere jussit Exod. XIX. 15. & *Joel* cum publicam indicaret
poenitentiam, abstinentium a cibo & usu Conjugum præcep-
pit cap. II. 15. 16. *Hanc temperatiam & moderatum Con-*
jugis usum commendat Apostolus, quando dicit i. Cor. VII. 52
ne fraudate alter alterum, nisi siquid ex consensu ad tempus, ut vaceris
jejunio & precibus. *Id quod vero Apostoli non ad cotidia-*
nas trahendum est preces, ceu nonnulli opinantur, sed ad
publicas, solemnes & extraordinarias, obingruentes calami-
tates aut negotium aliquod arduum suscepas; ideo utitur
verbo Χολάζειν *solemnibus vacare ritibus, & mox subjungit & rur-*
sum simul convenite i. e. cohabitare, sicut inter Conjuges fieri
consuevit, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram
i. e. ne Diabolus inde occasionem suavit, quod novit vos pro-
nos

nos esse in Venerem, præcipitandi vos in scortationem, si ab in-
vicem diutius, quam vestra fert libido, abstineatis.

XX.

*Ex mutuo porro consensu abstinere posse conjuges ad tempus
a consuetudine conjugali, quis est, qui in dubium hoc revocare
ausit?* 1. Cor. VII. 5. hoc enim modo neuter suo jure defrau-
datur, cum *volenti non fiat injuria*. 1. 1. §. 5. ff. de injur. Sed
quid si perpetuam voverit castitatem Coniux, aut ambo Con-
juges promiserint DEO se minime debitum petituros? Sa-
ne votum hoc non tollere consuetudinem conjugalem verius
mihi videtur c. 16, XXXIII. qu. 5. & c. 3. XXXII. qu. 2. c. 3.
XXX. qu. 1. Hoc enim esset defraudare Coniugem, debitum
negare, & Jus ac ordinationem DEI superioris intervertere,
quippe qui hominem condidit ad societatem conjugalem &
disertis verbis præcepit, ut crescerent, terram replerent, &
Reipubl. Christianæ seminarium pie sancteque propagarent.
Gen. III. vid. Augst. Confess. art. 23. verb. Wie aber kein menschl.
Gesetz Gottes Gebot kan wegthun oder ändern also kan auch
kein Gelübd Gottes Gebot ändern. Accedit, quod omne votum
de re illicita, in potestate voventis non existente & alias im-
possibili suscepimus, & in præjudicium tertii vergens, non
obliget arg. 1. 6. §. 1. ff. de pollicit. 1. 185. ff. de Reg. Jur. Stryck.
in Annotat. ad Lauterb. Compend. Jur. Tit. de R. N. p. 682. per-
petua autem continentia extra potestatem nostram est, nec
omnibus est data Matth. XIX. 11. 12. 1. Cor. VII. 7. nemo enim
hominum in sua habet manu, ut non generetur in corpore
suo semen, nec in nervum erumpat naturalis generandi in-
stinctus. Est appetitus unius sexus ad alterum æque natura-
lis atque appetitus cibi & potus. Unde scite & emphatice
B. Luther. in libr. von Ehel. Leben, Part. 1. tom. 2. Alterb. p. 209.
*Verbum hoc quod Deus dixit: crescete & multiplicamini, non
est præceptum, sed plus quam præceptum, nempe opus divinum,*

D

quod

quod impedire aut omittere non est nostri arbitrii, sed aequo necessarium
quim edere, bibere, corpus exonerare, dormire & vigilare. Est natu-
ra implantata, perinde atq; membra ipsa istibuc pertinencia. Propter-
ea scut Deus nemini præcipit, ut mas aut femina sit, sed tales creat, sic
non præcipit multiplicationem, sed ita creat, ut homines multiplicari
oporteat. Et si quis hoc prohibere velit, manet tamen non prohibitum,
& se exsirbit per scortationem, adulterium & peccata muta, est enim res
naturæ, non arbitrii.

XXI.

Occasione horum ridiculas Pontificum decisiones præteri-
re non possumus; prohibent namque propter votum aut de-
lictum aliquod exigere debitum, contra vero jubent istud reddere,
vid. c. 1. q. de eo qui cognov, consang. ux. & q. q. eod. c. 10. q. eod.
& c. n. eod. magis autem ridiculos se ferebant in istarum ex-
pliacione & interpretatione Canonista, vid. Sanchez. de mitrim.
Sacram, lib. 9. disp. 7. ubi seqq. conclusiones tradit: Maritus cui
petere est interdictum, cum tamen reddere teneatur, ut contingit, quan-
do voto castitatis ligatus est, aut post matrimonium contraxisti illicitam
affinitatem, aut cognationem cum uxore, potest nonnunquam insinuare
se uxori & offerre ad usum conjugalem, petereq; ab ea debitum, non in
gratiæ sui, nempe ut suo appetitu morem gerat, sed gratia uxori
complacendi & non reddendi matrimonium ei grave & onerosum. n.
ii. Si ambo Conjuges promisserint DEO se minime debitum peritu-
ros, possent ambo commisceri, non quidem debitum perendo, id enim
adversatur voto emiso, sed quando quilibet serviret, alium indi-
gere, ut propter incontinentia periculum. Hic sifstitur castitatis
specimen ab iis, qui juramento ad eam perpetuo observandam
se obstrinxerunt, secundum quod Ic. etiam Conjuges vel sponte
& voto, vel propter delictum ad castitatem servandam ob-
stringi, & tamen per ejusmodi interpretationes confictas,
quoties

quoties ipsis libet, corporum potestatem sibi invicem facere possunt. Sane si Luthero ejusmodi interpretandi regulae nocte atque cognita fuissent, non opus habuisset, Papales illas sanctiones subsannare, ut fecit in libr. von Ethel. Leben. P. 1. tom. 2. Altenb. p. 212. Ecce, sunt verba ejus, quid Diabolus per mortales suos in Conjugio agat? Marem & faminam conjungis, & dicit: non estote mas & femina: ignem & ramini subjecit, & præcipit, ne flammam concipiatur. Si pars decima ejusmodi Praeceptorum Papa imponeretur, quomodo farereret, & de vi aigz injuria conqueretur? Apage magnos ejusmodi stultos, turelinqu Conjugium liberum, quemadmodum Deus istud instituit, Peccata auiem & criminis coruscum alios panis, non proibitione Conjugii & novis peccatis. Sunt adhuc plures casus, quibus quis a conjugali debiti præstatione excusat, quos adducit Zacchias in quest. med. legal. lib. 7. tit. 2. qu. 3. q. 5.

XXII.

Restat nunc denique, aut paucis inquiramus in *Actiones* & *Remedias*, quæ Conjugibus ad hoc Jus obtainendum, competunt. Suppedant autem Jura Conjugibus (1) *Actionem previdicialem usilem*, arg. l. 3. §. 4. ff. de lib. agnosc. arg. l. 1. §. 2. ff. de R. V. Lauterb. in *Compend. Jur. iur. de agnosc.* & alend. lib. p. m. 458. Hopp. ad §. 13. *Inst. de Act. in us. bodiern.* quæ est actio præjudicialis ex Jure personarum descendens §. 13. *Inst. de Act. l. 9. C. de lib. caus. l. 3. pr. & l. 32. ff. cod.* Dicitur autem utilis, quia ex mente & sententia legis per interpretationem & extensionem quandam deducitur, sicuti contra Actiones ex ipsis verbis LL. eoque quod scriptum est, descendant, *directæ*, & quæ deficientibus verbis & sententia legis ex aquitate in subsidiari dantur, *actiones in factum* appellantur Lauterb. in *Comp. Jur. iur. de Oblig.* & *act. p. m. 622.* Hopp. ad §. 16. *Inst. de Leg. Aquil.* ad verba: *Directam ex hac lege actionem.* Datur itaque hæc actio uxori, adversus maritum conjugale debitum dene-

gan


gantem, & vice versa marito aduersus uxorem, ad id, ut se mutuo recognoscant, debitaque conjugalia sibi invicem præstent. Datur etiam secundo Conjugibus *imploratio officii iudicis*, pro compellendo Conjuge ad explendum debitum conjugale. c. 6. §. de adult. & supr. & c. 3. §. eod. Tertio denique accommodantur Conjugibus *remedia possessoria*, quibus Coniux adigitur ad id, quod sui est officii, c. 8. §. de Refut. spōib⁹ ibique Gloss & Canonist. c. 13. §. eod. c. 11. §. de Presumpt. Stryck, in Tr. de Jur. domest. cap. 2. §. 5. pag. 9. Struv. Exerc. 29. th. 57. Schilter. in inst. Jur. Can. l. 2. cit. 11. §. 14. Kitzel. in Synops. matrim. c. 10. theor. 4.

Hisce nostro labore finem imponimus. Interim DEO T. O. M. de concessis viribus & spiritu Sui Sancti assistentia immensas, quas mens & lingua hac immortalitate potest proferre, agimus grates, obnixe rogantes, velit porro sua nobis clementer gratia assistere, & regere atq. gubernare mentem, nostras cogitationes, ut omnia, que agimus, que facimus, vergant in Sanctissimi Sui Nominis gloriam, Proximi commodum ac emolumenatum, nostramq. denig. eternam salutem. Errata, que propter nimiam festinationem forte irrepserunt, ut L. B. ignoras, est quod decenter rogamus & a tua humanitate exspectamus.

Sit honor æterno, qui regit Astra, DEO.

E R R A T A.

Pag. 10. lin. 19. loco c. 2. leg. 3. lin. 26. pro art. 2. 3. leg. art. 23. pag. 11. lin. 15. pro Exod. XV. §. 35. subst. Exerc. XV. §. 49. pag. 22. lin. 33. pro luxuriens leg. luxuries. pag. 23. lin. 8. pro ORSA leg. OSSA.



00 A 6371

ULB Halle
002 916 614


3



1018

1018

B.I.G.



27

J. J. B.
DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
CONJUGALIS
DEBITI
PRAESTATIONE,
Von Leistung der Ehelichen Pflicht/
PRÆSIDE DÉO TRINUNO,
Quam
INDULTU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS,
IN ALMA NORICORUM UNIVERSITATE
PRO LICENTIA,
SUMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
rite & legitime capessendi,
Publico ac solenni Eruditorum Examini subjiciet
ad diem xxv. Junii, A.O.R.M DCCVI.
H. L. Q. C.
JOHANNES JODOCUS BECK,
Norimbergensis.

Catttero MEYERIANO.

